



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

De falso intellectu huius verbi, imputare. tit. 21

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

promeritum thesaurum. Media sunt, & non merita, &c. Ideò quæ Deus per media donat, adhuc gratis donantur propter Christum. Gratia non cadit sub merito, sed gratia primùm gratis cōcessa per fidem, postea retinetur per opera, vt laudetur gloria gratiæ Dei, Ephes. 1.

DE FALSO INTELLECTU  
huius verbi, imputare.

TITVLVS XXI.



Rimò, sectæ adulterāt hoc verbum imputare, etiam vt derogent bonis operibus: & sic docēt: Homo sic est in natura sua deprauatus peccato originis in Adam, Rom. 5. ꝑ nullā habet nec habere potest propriā iustitiam, sed solūm aliena iustitia, i. Christi, sibi imputatur gratis propter fidem solam. Ideò nihil sunt propria merita, sanctimonix, ceremonix: Christus solus nobis factus est à Deo nostra iustitia, sanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1. Sic fides Abrahæ fuit sibi imputata ad iustitiam, Gene. 15. & ideò hoc scriptum est, inquit Paulus Roma. 4. vt & nos sciamus, quoniā fides sola reputatur ad iustitiam credentibus in Christum, qui mortuus est pro peccatis nostris &c. atq; sic aliena iustitia nobis imputatur, illa iustificat & saluat per fidem sine omni opere nostro &c.

Secundò, sic accipiendò hoc verbum imputare, derogat plurimùm pijs operibus: pro quo notādum, quòd duplex est iustitia: nempe perfecta, vt est illa in patria cœlesti vbi ex toto corde, tota mente, ex omnibus viribus, tota anima sancti & angeli perficiunt DEI obedientiam & voluntatem: & sic non est iustus in conspectu Dei omnis viuens. Nam omnes hinc in hoc mundo constituti, semper orārunt sibi dimitti debita.



debita. Alia est iustitia, quæ licet in oculis Dei sit imperfecta, attamen pro statu præsentis vitæ nobis possibilis, dicitur vera atq; perfecta, sicut multi dicuntur sanctorum, sancti, iusti, perfecti: sic Noë Genes. 6. dicitur vir iustus atque perfectus. Sic parentes Ioannis Baptistæ Luc. 1. dicuntur iusti ambo & irreprehensibiles in mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Sic Simeon iustus & timoratus, Lucæ 2. & Ioseph cum esset iustus, Matth. 1. Sic Paulus dicit se iustum secundum iustitiam quæ in lege est, sine querela, Philipp. tertio. Et sic est iustitia præsentis vitæ, quam Spiritus sanctus in nobis operatur, & hæc est donum Dei: & licet propter immunditiam naturæ non potest esse perfecta, sicut deberet: est tamen vera iustitia, nobis pro præsentis vita possibilis, ultra quam Deus nihil exigit à nobis. Nam hoc quod nobis est impossibile, non exigit: sed quod nobis adiutorio gratiæ est possibile, hoc exigit. Vult enim ut utamur gratia sua, & illam acceptat Deus pro iustitia, quam scit nobis possibilem: & sic opera bona, fides, cultus Dei, faciunt iustum &c.

Dicere ergo, hominē non habere iustitiā, nisi imputationem: & quæ opera quæ ex gratia & operatione Spiritus sancti fiunt à nobis, non sunt etiā iustitia, id sine scripturis dicitur: Vocat enim Christus opera nostra iustitiam. Mat. 5. Nisi iustitia vestra abundauerit plus quam scribarū &c. Si enim Deus vult solum nos reputare iustos propter fidem in Christum, ad quid infundit iustificato Spiritum sanctum cum suis fructibus, Gal. 5. nonne ut nos sanctificet, iustos faciat verè & in re? Si res sola penderet ab imputatione, potuisset nos Deus sine passione & morte Christi, sola imputatione iustitiæ saluos fecisse, & nos sine sacramentis, operibus, Spiritus sancti fructibus, & præceptis Dei saluare. Frustrā ergo hæc omnia præcipiuntur & fiunt, nullo horum indigemus &c.

Ff      Quare



Quare sic exponere verbum, imputare, quasi nos propter alterius iustitiam reputaremur iusti, penitus absque omni propria iustitia, sine scriptura dicitur. Nam si iustitia mundi, id est, omnium hominum imputaretur peccatori, qui tamen pergit in peccatis, non sibi prodesset: si non quoque ipsemet pœniteret & iustus fieret: & iacob. dicit capit. 2. Quid proderit famelico, si satur illi vellet imputare suam saturitatem, & diceret, Sis satur, non tamen daret effectiue: sic si diues diceret pauperi sis diues, imputaret sibi diuitias, nihil tamen daret. Ad hunc modum nihil proderit fides, scilicet quod Deus tibi imputet alienam iustitiam, id est, Christi, si tu non quoque propriam habueris. Non quod tua propria iustitia mereatur imputationem alienæ iustitiæ Christi: sed quod medium est per quod imputatio illa apprehenditur: sine illa non facies tibi propriam alienam iustitiam. Christus meruit iustitiam, tu solum apprehendis illam, & tuam facis, si habueris medium propriæ iustitiæ. Idem Christi natiuitas, vita, passio, crux, mors, resurrectio & cetera. nihil tibi proderit, nisi & tu de nouo regenereris Ioan. tertio, ipse etiam patiaris tribulationes, Matth. 5. ipse etiam crucem tuam feras, Matth. 10. moriaris peccato, rursusque resurgas iustitiam, Rom. 6. & cetera. Summa, qui cum Christo patitur, cum illo peccatis suis moritur: qui laborat, orat, ieiunat, hic cum eo simul regnabit, non cui passio ipsius per falsam opinionem imputatur.

Tertio, Abrahamæ fides non carebat virtutis operibus, neque destituta fuit charitate, timore, obedientia, iustitia vitæ, veritate, & cetera. sicut scriptura illi perhibet testimonium Gen. 12. quomodo obediuit Deo, egreditur de terra, cognatione & domo patris sui. Et 15 dicitur quomodo promissioni de multiplicatione seminis crediderit, & 18. quomodo orauit pro Sodomitis & cetera. Non ergo fides illa Abrahamæ, erat sola & sine



sine operibus, quam Deus illi reputauit ad iustitiam: immò Genes. 22. dicitur illi, Quia obedisti voci meæ, & fecisti hanc rem, id est, offerendo filium tuum mihi, benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Et sic in Christo, qui est hoc semen, Galat. 3. de semine Abrahæ nato, benedicuntur omnes credentes &c. Nec dicit scriptura quòd sola fides, sed quòd fides est sibi reputata ad iustitiã, quæ fides simul includit pia opera illa. Non enim fuit diuisa hæc fides ab operibus, sunt enim opera fides tua. Nec fides Abrahæ meruit illam iustitiam cum operibus suis, sed fuit medium, per quod apprehendit Abraham iustitiam. Sic fides per dilectionem operans, est medium, per quod nobis imputatur aliena, id est, Christi iustitia. Non meretur illam, sed apprehendit. At ubi hoc medium non est, id est, fides per dilectionem operans, Galat. 5. ibi non per nudam opinionem imputabitur Christi iustitia. Quare error est, dicere, sufficit mihi aliena iustitia, id est, Christi, quæ mihi imputabitur & mea est, per solam nudam fidem absque operibus meis proprijs & propria iustitia: solùm credo, sed aliena iustitia non apprehenditur, neque cuiquam imputatur absque medio propriæ iustitiæ &c.

Postremò, licet homo sit corruptus peccato originis, attamen iterùm in baptismo sanctificatur, re-ctificatur: arbor bona efficitur per fidem. Act. 15. Fide purificans corda &cet. homo sic fide sanctificatus, facit aliquam iustitiam, & habet pro hac vita possibilem. Et illa solùm medium est, per quod Christi meritum & iustitia apprehenditur & imputatur, non meretur, medium non est meritum. Si ergò hoc medium non fuerit, id est, fides cum operibus in homine, nec apprehendetur, neque imputabitur Christi iustitia &cet. Sic opus Phinees reputatur sibi ad iustitiam, Psalmo 105. Ergò nedùm fides reputatur ad iustitiam, sed etiam opus, &c.



Non Luterani solùm imputatiuam Christi iustitiã defendunt, Osiandrini essentialẽ iustitiam docent, quam D E V S & sancta Trinitas in nobis inhabitans operatur. Ecclesia docet fidem & pœnitentiã, vt media comprehendentia & retinentia iustificationem.

Primò, fundamentum Luteranorum est, Christus pro mediatore à Deo, idèò ordinatus est, quatenus deberet ad nostrum vsũ promereri & acquirere iustitiam specialem per suum sanguinem & mortem, quã ex misericordia credenti peccatori imputaret, quum alioqui nullam habeat iustitiam.

Secundò, de illa Christi iustitia potest iure gloriari quilibet peccator, quòd iustus sit, etiamsi plenus est peccatis, sicuti Paulus dixit Philipp. 2. Non habens meam, id est, propriam iustitiam, sed eam quæ est ex Euangelio Iesu Christi.

Secundò, Osiandri fundamentum, 2. Corinth. 3. Nos non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis & cœt. Idèò Deus permittit nobis prædicari verbũ suum, & per hoc, auditum videlicet & creditũ, Deus venit ad nos, & operatur in nobis fructus spiritus, Gal. 5. & sic Deus in nobis essentialiter existens, operatur nostram pœnitentiã, immutationem vitæ, & iustificat. Idèò non imputat sine pœnitentiã & emendatione vitæ, id est, non reputando bonum, sed hominem bonum efficiendo Deus iustificat.

Insuper in Christo sunt duæ naturæ, diuina & humana: sed nulla illarum sola sine altera iustificat, & omnè quod à Deo volumus habere, hoc per & propter Christi humanitatem acquiritur. Ioan. 14. Nemo venit ad patrem, nisi per me. Idèò non separatur Christi humanitas, neq; reiicitur à diuinitate in opere iustificationis. Idèò diuinitas in sanguine Christi iustificat, Deus est qui iustificat, Rom. 8.

Tertiò, Ecclesia catholica simplicissimè docet, quoniam D E V S est qui remittit per fidem peccata,  
Romani



Roman. 8. Deus est qui iustificat: sed causâ quare iustificat, est Christi mors, & effusus sanguis illius. Apprehenditur autem à nobis per fidem & pœnitentiam, Marci 1. Pœnitementini, & credite Euangelio, &c.

## DE FALSO INTELLECTV

*istius verbi, perfectio.*

## TITVLVS XXII.

**P**rimò, sectæ in detrimentum bonorum operum dicunt, omnia opera nostra sunt imperfecta, in immunditia naturæ facta. Nō possunt opponi iræ Dei, idē nihil faciunt in conspectu Dei, nec ad salutem, nec iustificationem & meritum. Sola igitur aliena iustitia, id est, Christi, illa ex omni parte perfecta est. Et illa nobis per fidem distribuitur. Idē petit Propheta Psalm. 114. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis caro. Et Romanor. 4. Idē ex fide sola apprehendimus iustitiam & salutem, vt simus certi & firmi de promissione. Nam opera nostra quia sunt imperfecta, idē non possunt nos certificare, quod promissionem accipimus &c. Sic Iob veretur omnia opera sua, Iob 9. quia erant immunda & imperfecta, & Esaias 64. inquit: Omnes iustitiæ tanquam pānus menstruatae, id est, immundæ. Nihil igitur est cum operibus nostris. Idē sola fides impetrat Dei misericordiam & cæt.

Secundò, hæc interpretatio plurimùm absterret à pijs operibus homines qui cogitant, si opera nostra sunt imperfecta: volumus ergò illa dimittere. Sed aliud est, imperfectum esse: aliud, nihil esse. Opera sunt imperfecta, ergò nihil sūt, non sequitur: Vita nostra est imperfecta, non viuimus Deo, sicuti debemus: ergò vita nihil est, nemo viuuit, non sequitur.

Ff 3      Moyses